



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXVIII. De Clerico non Ordinato ministrante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

De Clerico non ordin. ministrante. 721

pœnas de Jure, utpote universaliter de Clericis loquente. Ad 2. patebit ex tit. seq. Ad 3. Si nullitas proveniret ex defectu intentionis, non incurreret, quia talis tantum simulat se ministrare; bene tamen, si ex defectu materiæ, jurisdictionis, vel subjecti non bene dispositi; quia talis invalide conficiens Sacramentum facit actum Ordinis proprium, quantum est ex se, & talis actus in ratione exercitii prohibiti jam est consummatus.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

SUMMARIUM.

- 1. 2. Clericus exercens actum Ordinis, quem non habet, quas pœnas incurrat.
- 3. An idem dicendum de Laico idem faciente.

**E**tiam hoc delictum sacrilegii grave est, ac propterea à SS. Canonibus punitur, si nempe Clericus ministrat in Ordine, quem non habet, seu exercet proprium actum Ordinis, quem nunquam suscepit, cum requisita solennitate, seu eo modo, quo ab Ordinatis vi Ordinis potest ac solet exerceri, v. g. si Minorista vel Subdiaconus cum Dalmatica, stola, manipulo cantaret Evangelium in Missa solenni, si Diaconus legeret Missam, si Sacerdos attentaret conferre Sacramentum Confirmationis &c.

Dico. Clericus taliter ministrans serid & culpabiliter ipso facto fit irregularis. 2. Suspendi potest ab exercitio Ordinis ultimò suscepti, 3.

Pars II.

Zz

etiam



etiam excommunicari. Textus & DD. in c. 1. & 2. h. t. Dixi, *seriò*, h. e. non jocò aut per modum scenicæ actionis, sed cum intentione ponendi talem actum externum, quamvis intentionem non habeat validum Ordinis actum ponendi, cum sciat, id sibi impossibile esse Clemens VIII. & Urban. VIII. & certis *Constitut.* quas extractivè allegat P. Reiffenstuel *h. t. n. 13. 14.* qui insuper obtulerunt degradationem realem in Missam celebrantes, vel Confessionem audientes, eosque excommunicandi Curiaæ sæculari præceperunt. *Objic.* Qui non habet intentionem exercendi actum Ordinis validum, re ipsa non exercet, & sic non incurrit in Ordine, quem non habet: ergo nec penas incurrit. *R. N. Conf.* quia Jus jam punit eum, qui seriò intendit ponere actum externum eo modo quo solent ponere Ordinati ad talem actum.

3 Quæres an etiam Laicus, in Ordine sacro ministrans, fiat irregularis? *R.* cum communiorè negativè, quia Rubrica hujus tituli loquitur tantum de *Clerico*, & sic restringit subjectum textum generaliter loquentem, qui tamen adhuc retinet generalitatem, in quantum comprehendit omnem *Clericum*. Gravissimè tamen peccat Laicus, si attentet celebrare Missam, vel Confessionem Sacramentalem, tradendusque Judici Sæculari, graviter puniendus: sic ait quidam nuper Neoburgi ad Danubium quidam Laicus, solennes ibi celebrans Primitias, timò supplicio fuit affectus.